



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum Principis, Eivsqve Svccessorum
Vitae, Ac Doctrina, Ipséque Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basel], [1543]

VD16 VD16 K 2583

Quomodo ex operatione intellectualis naturæ, uidemus diuinam. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98259)

mens, scientia, & uoluntas sint eiusdem intellectualis substantiæ & naturæ, ac etiam ex mente generetur ars & scientia (carens enim mente caret arte, & carens mente & arte, caret libera uoluntate & electione) procedit igitur libera uoluntas à mente & scientia seu arte, & hoc primo notabis. Consequenter aduerte, quomodo id quod est in mente operantis intellectus, est etiam in arte & in uoluntate; & non est aliud in mente, aliud in arte, & aliud in uoluntate; aliter non esset una perfecta operatio. Id uero quod in mente, est mens (ibi enim compræhensum & compræhensio, seu mentionatum & mens, idem sunt) sic id quod in scientia est, scientia est. Scitum enim, ibi scientia est, atque id quod in uoluntate est, uoluntas est. Ibi enim uolūtum, uoluntas est. Patet igitur non aliud esse mentem, & aliud scientiam, & aliud uoluntatem, sed idem essentialiter, licet non conuertibiliter, sic scilicet, quod mens licet non sit scientia seu uoluntas, non tamen est aliud mens quàm ars & uoluntas. Exigit igitur nobilitas intellectualis naturæ, quæ libera est, mentem non esse scientiam de se genitam. Quia cum sit ab ipsa mente genita, non est mens seu pater generans. Sic exigit mentem & scientiam à mente genitam non esse uoluntatem ab ipsa & arte procedentem. Procedens enim, non est illa à quibus procedit. Hæc ideo, ut liber & perfecte possit intellectuales producere operationes. Hæc agricola seminator grani, bene capit. Oportet enim ipsum in sua compræhensione habere semina grani, & in sua scientia artem seminandi grani, & in uoluntate uoluntatem grani seminandi. Seminare enim, est opus intellectus, & hæc sic se habent.

Voluntas libera à mente & scientia procedit.

Mens. Scientia. Voluntas.

Q U O M O D O E X O P E R A T I O N E I N T E L L E -
ctualis naturæ, uidemus diuinam. Cap. III.

AT quoniam intellectualis natura hoc, & hanc nobilitatem non habet nisi à creatore suo (nam operatur in similitudine creatoris sui) sicut creando ueras res producit, ita intellectus imago eius, operando producit similitudines uerarum rerum. Creare enim, est efficiare; & intelligere, est assimilare. Quare creator omnium cum intelligat id quod creat, & sciat seu artem habeat, & uoluntatem tunc unus creator omnium ad hoc quod nobilissimus & perfectissimus atque liberissimus sit, creator ueraciter trinus est. Cuius similitudo, in nostro intellectu uno in essentia, & trino in operatione, præmittitur. Diuinam igitur mentem, in qua omnia quæ creari possunt, æternaliter consistunt, Christiani patrem & creatorem appellant. Artem uero eius omnipotentiam, seu sapientiam, siue scientiam, eius filii uocant, per quem omnia facit. Voluntatem uero sine qua nihil esse potest, cum à patre & filio scilicet mente & arte procedat, spiritum sanctum confitentur, qui omnia ad effectum producit. Sunt autem indiuisa trinitatis illius opera, quia est una omnium operatio & creatio. In creatione igitur ex similitudine operationis intellectualis unius creatoris uidemus trinitatem, ob quam trinitatem Moyses Deum creatorem pluraliter in principio Genesis per Elohîm, & uerbū (Faciamus hominem) expressit, licet alibi diceret, Ego Deus zelotes. Sic & in Alchoran ait Deus: Nos, homines ex humore fragili creauimus. Et alibi: Cælum quidem, & omnia cœlestia pro uelle nostro creauimus. Licet alibi dicat: Dic meæ genti, ego sum Deus misericors. Et quemadmodum Moyses & Machumet per expressionem pluralitatis in creatione seu operatione Dei noluerunt plures deos fateri, sic Christiani propter trinitatem recedere nolunt ab unitate Dei creatoris.

Create. Intelligere.

Pater, creator.

Filius.

Spiritus sanctus

Elohîm.

Quomo-